

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Placata Hygea

Boch, Ernst Friedrich

[Durlach], 1714

[urn:nbn:de:bsz:31-2406](#)

40

PLACATA HYGEA,
Quam
In tristissimis Exequiis
VIRI
Illustris atque Excellentissimi,
DOMINI
ERNESTI FRIDE-
RICI BOCHII,
Serenissimi Principis Bada-Durlacensis Consili-
arii Intimi & Aulæ, Rerumq[ue] Ecclesiasticarum Ad-
ministrationem Curasque Illustris Gymnasi
DIRIGENTIS,
Anno M DCC XIV. die 14. Martii
placida morte defuncti,
Inter lacrimas atque suspiria
Universæ Familiæ Bochianæ,
Omniumque Clientium & Amicorum, Piorumque desideria,
publicè venerabatur,
simulque
Illustris Viri
meritis inferias, atque ultima officia
præstabat
Illustre Gymnasium Durlacense.



Typis & Literis Theodori Heshtii, Typogr. Aulici.

*Facit hanc in rite q[ui] am[us] faciem. Ne fisi
Anomiae, defuncti dono supremo Viri.
Hoc ego cum voto diuine misericordie
Illa, Mater, precor, confite mihi Dom.
Pro. W. V. Salut
Go. C. Schaffhausen. 50*

Quisquis ades, faveas! BOCHIO pro sospite nuper
 Vovimus ad famæ carmina danda Tholum:
 Vota fidem poscunt. Placata munus Hygea,
 Carmina pro BOCHIO sospite vota damus.
 Sospes enim vere est, ruptaque impune catena
 Vis rapidæ supra sidera mentis iit:
 Sub pedibusque videt cœlos, atque aurea Solis
 Atria, falcatae quadrupedesque deæ.
Non illum Boreæ tangunt inimica, vel Austri
 Flabra, vel hiberni cornua dira capri:
Non metuit, si quæ peccat nimbosus Orion,
 Aut oculus Tauri, Pléiadumque minæ.
Quid? cum Solis equi, flagransque canicula sœvit?
 Terraque deformi mœret hiulca siti?
Humidus aut madidas evertit Aquarius urnas?
 Et geminus cauda Piscis utraque ferit?
Ille sui securus, & intimus ætheris hospes,
 Otia, cœlicolis cognita, latus agit.
Maðte, Bochi, sorte esto Tua; quam voce petebas,
 Quæ frustra cunctis sollicitata piis:
Jam TIBI parta quies: jam pax sincera, nec ullo
 Mixta dolo, aut dubio plena dolore, viget.
Nos agit & versat dubii violentia fati,
 Nunc spes, nunc agitat pectora nostra metus:
Aut alios petimus tumidi, petimusque vicissim,
 Parsque palam miscet, pars sua bella dolis.
Et, quanquam plenis Pacem vicinia buccis
 Intonet, & positis arma relicta minis:
Pax tamen infida est, præfagaque pectora Martis
 Attonita expectant aure timentque nefas.
Hinc etenim (vates utinam sim falsus!) ab Euro
 Quas parat, o superi! barbara Luna minas?
Diraque nescio quæ Christi pia signa secutis
 Molitur, tacita proelia fraude movens.
Illinc sœva ciet truculentos Sequana fluctus,
 Quæque palam posuit, clam tamen arma tenet.
Ergo erit, ut rursum paribus concurrere telis
 Christicolas videat mœsta Getasque dies?
Ergo erit, ut lacrimans audita clade suorum
 Decolor in mediis moereat Ister aquis?
Ipsaque terribili miseranda Polonia luctu
 Rursus eat, fœdis dilaceranda modis?

Quis

Quis scit, an hæc patriæ non tangat viscera pestis ?
Turcicaque in nostris signa locentur agris ?
Perque Silesiacos saltus, & Saxonis oras
Passim Lunares exiliatis equi ?
Atque ita, dum passim miscet, dum classica longe
Hostis ab Hesperio saevior orbe canit,
Injiciant Oriens una, septemque triones
Armigero magni vimque manumque Jovis ?
Quicquid id est, timeo. Sunt quædam oracula, & olim
Hæc fore fatidico rettulit ore Mycon.
Tu Deus, & mitis jubeas Rhamnusia nobis
In mare nimbosos irrita ferre notos !
Vos quoque, qui positis, reges, hastilia bellis
Armaque donastis sanguinolenta lari :
Ne nimium pacis confidite ! litora Rheni
Testor, & in cineres oppida versa suos.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Aut pila, quam celeri verberat arte puer :
Quam facile & primum est, causas reperisse doloris,
Et bene firmatam conscelerare fidem.
Ut levis in summo gyratur braætea teæto,
Cum tepidi spirat mobilis aura noti :
Ut movet instabiles, Zephyro sua bella ciente,
Populus in montis vertice fixa, comas :
Sic rotat & vertit nostri concordia secli,
Nec firma perstant foedera sede diu.
Hæc facies, hæc est factæ modo pacis imago,
Ut facili plaga terga det icta fugæ.
Quæ Tu DIVE BOCHI, quum cauta mente videres
Et celeri mundum quam pede fata premant ;
Sæpe cohorreas ; venturaque sæpe monebas ;
Sæpe etiam ajebas utile, posse mori ;
Urgebasque TUIS cessantia fata querelis ,
Sæpe TIBI felix ultima dicta dies.
Quin etiam superos omnes, superumque parentem
Te canit assidua fama rogasse prece :
Ut Lachesis miseræ breviaret stamina vitæ,
Ut lethi pateant ostia clausa TUI.
Ecce TUI voti jam terminus in stat ad alto,
Instat & optatæ meta propinqua necis.
Jam jam, quam cupida, quam tota mente petisti,
Imminet extremi temporis hora TIBI

Jam

Jam TIBI sinceræ vitæ reparator Jesus,
Aurea purpurca tcmpora fronde tegit:
Inque beatorum numero, sine fine canentum,
Vadis, honorata conspiciende coma.
Et, quanquam visis circum tua funera natis
Manarent lacrimæ moesta per ora TUÆ:
Et quanquam visa thalami consorte jugalis
Exederet sœvus languida membra dolor:
Spes tamen æternæ naturaque gaudia vitæ
Pellebant animi nubila cuncta TUI.
Nunc quoque semideos inter, cœlique Quirites
Despicis; æternis perfruerisque bonis;
Et curas hominum cœlo contemnis inaneis,
Quæque alii censem maxima, nulla putas.
SALVE, fidereis decus addite civibus, & nos
Crede, BOCHI, nunquam dememinisse TUI!
Ecce! TUI circum NATI tua busta querentes,
Juncta concordi lege marita thori!
Me miserum! quantis singultibus ilia pulsant!
Me miserum! quantus surgit ad ossa dolor!
Pone TUOS cineres flentes adstamus amici;
Et lacrimæ, nostri signa doloris, eunt:
Quodque magis dictu mirabile, contigit ipsos
Ignotos facies mortis amara tuæ.
Curia conspecta simul atque *Ecclesia* tumba
Ingemit, heu laceris sordida facta genis!
Marchiaq infelix, tanta externata ruina,
Mene, ait, in media, Tiphy, relinquis aqua?
Vera times, Mater: non uni flebilis umbra
Occidit: hæc clades publica damna trahit.
Quin etiam PRINCEPS, & Amici Principis una
Signa ferunt Iudus quântaque quotque sui?
Vive, PATER PATRIÆ, qui rapti funera Bochi
Mente doles, vultu prosequerisque pio!
En quoque Pierides, Gymnasticaque ordine longo
Turba coit, pulla tota adoperta toga:
Testanturque suos tacito sub corde dolores;
Hæc supereft meriti graria sola tui.
Ante alias omnes passis *Elegia* capillis
Provolut, & tristi funera voce canit:
Inque tuo pheretro lugubria lumina figens,
Parva Tuis, inquit, manibus ista damus.
Ipfa polo veniens *Pietas* sincera relicto
Sancta tegit mundo corporis ossa loco;
Inde Soror sacro monumentum Astræa liquore
Irrorat niveâ terque quaterque manu:
Et manes moesta supremum voce salutans,
Hic Meus, hic CAROLI, dixit, Amice, jace.
Accinuit, famæ pernicibus excita pennis,
Visaque concussâ dicta probare comâ,
Calliope, sacri repetens Tua vertice cœli
Promerita, at nostro non referenda sono!

—
—
—